

Causa 14.  
Phæn.

quenter etiam aliquantum ab externi aëris superaddita preſſione, necdum dubitamus; tametsi præconceptus ex illa hy-  
pothesi effectus votis nostris non ita, uti prior responderit.  
Sive enim fatis exhaustus recipiens non fuerit, quia persuasi-  
eramus ex aliquanta elateris aërei debilitate varietatem quan-  
dam effectū sensibilem consequi posse; sive particulæ aqueæ,  
tametsi multò magis pressæ, non tamen multò celerius in  
corporum poros; ob horum angustiam, adigantur, ut sensi-  
biler bullarum aërearum emersio statim acceleretur &c.  
hæc certè circumstantia nondum à prima illa opinione pe-  
nitus nos debet dejicere, dum alias etiam imposterum (ubi  
plus otii fuerit) imò hanc ipsam quoque paulò circumſpe-  
ctiùs pensitaverimus.

Causa 15.  
Phæn.

**C**ONCLUSIO X. Eandem verò causam esse quæ va-  
sculum evacuatum intra campanam suprà circulum coriace-  
um & orbiculum vitreum figit, & quæ paulò ante campa-  
nam ipsam supra suum orbiculum orichalceum defixerat, ex  
toties dictis nimis manifestum est. Nempe, ut externus aér  
campanam perpetuò ambiens eam pondere suo deprimit,  
statim ac interioris elater exantlando debilitatus est ac pa-  
rum resistit: sic exhaustum vasculum, & orbiculo suo jam  
undiquaque adaptatum, ab externo aëre subitò iterum in  
campanam admisso, subitò etiam deprimitur ac defigitur;  
tametsi fortasse dubitari non debeat, aliquid ejus, quantil-  
lum etiam id fuerit, infra vasculi labra, sub initium nondum  
ita defixa, in ejus cavitatem posse subrepere, quia ab imo sur-  
sum admissus labra citius quàm fundum in sublime conver-  
sum attingit, atque adeò consultiùs haut immeritò videri, si  
aér novus desuper in exhaustam campanam admitteretur,  
ut ad vasculi conversi fundum priùs quàm ad ejus  
labra pertingeret.



TENTA,